

beant. Fuerunt haud dubie, sicut in aliis, ita in hoc studiorum genere, insignitæ stultitiæ ac impudentiæ homines: qui cum absque idoneis adminiculis, ieiuni ac expertes bonarum artium, numerassent syllabas, iugulassent litteras, vocem vnam & alteram transjecissent, Critici volebant videri; quasi quisquam talis esse, nisi Philosophus posset. Quidam leuia omnia ac minuta confectati, syrtibus illis & scopulis huius studii, qui plurimi & asperrimi latent aut extant, nunquam tentatis, cum Varrone de palma contendebant, præque se vnis, omnes credebant desipere. Tali possent millia litterarum de honestamenta memorari: quæ si in ipsarum vertimus iniuriam, videndum erit in posterum, quomodo à leguleiorum & rabularum probro ICTi; ab impostorum odio, Medici; Philosophi à Sophistarum titulo se expediant. Longe aliter de Berneggero, & qui eius vestigia sequuntur iudicandum est: ex quibus Grammatistas nemo nisi per calumniam fecerit. Nimirum in hoc vertitur omnis iste apparatus, in hoc sudat iste labor, vt efficacia, robur, dignitas, omnibus iis studiis accedat, quibus vniuersæ necessitates vitæ, iusque & fas publicum gubernantur. Huc sana ratio, huc conscientia, huc ipsum, quod ex tam foedi contemptus omine intelligimus imminere, periculum vocat: ne spoliata suo cultu, & exuta vestibus sapientia, frigo-